



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Pecunia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

**A** litasse perhibetur: unde ipse Melon, & Mellus appellatus, quod Latine diceretur Ovillus. In Pomi vero commentario plura super hoc narrabuntur.

## PECUNIA. CAP. XXVI.

**A** hæc, licet Ovidius & alii non imperite dixerint, Pecuniam à pecudibus appellatam, quod peculium, uti superius ostensum, olim omne à gregum numero censebatur, eaque de causa Maronius Corydon divitias ostentaturus suas dixerit,

*Mille mea Siculis errant in montibus Agnae.*

Illud tamen satis constat, æs prius nota pecudum signatum à Servio Romanorum Rege; unde Varro etiam, ut apud Marcellum est, *Unam Ovem multam distam*, ait, cum citatus neque respondit, neque excitatus est. Unum vero virili genere dixit: sive quod numum intelligeret, sive ad imitationem Homeri. Ab hoc Marcelli loco fragmentum est etiam in antiquissimo, quem Romæ vidi, codice. In commentariis tamen sacrorum Pontificalium crebro lectum ajunt, hic Ovis, & hæc Agnus, ac Porcus: quæ, inquit Pafus, non ut vitia, sed ut antiquam consuetudinem testantia debemus accipere. Ex quibus omnibus liquido apparet, non inepte Pecudem pro divitiarum hieroglyphico accipiendam.

*Ecl. 2.*

*Ovis masculino genere.*

## PHTHIRIASIS. CAP. XXVII.

**S**unt qui hominem pediculositate confectum significare si velint, ovillam illi pellem inducant, quam Lupi caput impacis dentis dilaceret: siquidem Ovium quas Lupus occiderit pelles, ac vellera, & facta ex his vestis, longe quam cætera aptiora sunt ad pediculos procreandos. Quod cum sit tum ab Aristotele, tum ab aliis receptum, quasiere multi causam, illudq; cupediariorum experimento deprehenderunt, carnes hujusmodi quæ lupinis dentibus laceratæ fuerint, dulciores esse: quod tactum ab Horatio volunt, ubi inter ea, quæ jucundiora deliciis regis enumerat, Hædum etiam erectum Lupo recenset, quod ego tamen ad frugalitatem potius retulerim, utpote qui eo loco parvum in primis laudet, hisq; tantum carnibus fruatur, quæ aut inemptæ sint, aut nisi absumantur peritura. Vel ex eo magis jucundum, quia qui semel amissus erat, sit receptus. Sed utcumq; illi, sane dulcedinis huius causam esse dicunt caliditatem, & igneam prope vim, quæ sit in anima Lupi, utpote quæ ossa vel durissima in utero liquefaciat, ariditate, permollita, evenireque inde ut carnes facilius atque celerius putrescant, si morfu fuerint hujusmodi vitiatæ: lanasque identidem contaminatas, contagionem illam etiam in vestibus pertinaciter perservare. Cæterum sunt qui judicent hoc non à calore, vel putredine provenire, sed ab asperitate potius, & ut Medicorum utar vocabulo, Vellicativa quadam vi, quæ carnem scabritie interterat, pruritusq; suscitet: unde postmodum humanæ cutis humore corrupto, pediculi suboriantur absurdumque esse dicunt, asserere vim illam à Lupi spiritu, morfuve usq; adeo in vellera diffundi, quæ totiens abluantur, solentur, depurgentur, inungantur, defæcentur, ac propemodum excoquantur. Referunt vero venatores, & capones, animalia quæ icu uno procubuerint, uno, ut ita dicam, spiritu suffocata, solidiora, minusq; putrefactioni obnoxia reddi. Quare Homerus rerum omnium doctrina insignis, sive coria, sive lora, commendat. Bovis ea dicit esse *ὄνικτα μέγιστα*, icu quippe valido macerata. Itaq; eorum, quæ neq; morbo, neque senectate pereunt, sed jugulatione, coria validiora sunt, nervosioraque. At quæ pluribus conficiantur plagis, difficulterq; aut contanter exagitata delasataq; perimantur, præsertimque si ferro faucientur, facile putrescere, neque in alterum diem asservari posse. Eorum autem, quæ tam lenta exanimentur morte, contaminatam vim & in pelles, & in vellera, quin & in unguës penetrare: præcipue autem si mordentur à feris, unguës etiam ipsos obnigrifcere, sanguine, humore & medullis etiam ipsis præ timore & cruciatu contaminatis, indiciumq; id tabis esse. Quare minime mirum, si contagio huiusmodi etiam in vellera diffuat, coriaque tentet & omnia denique computrescere compellat. Atque hinc pediculositatis significatum.

*Homerus omniçius.*

## DISCORDIA. CAP. XXVIII.

**D**iscordiam vero & mores maxime dissimiles Ægyptii Poetæque omnes significare cum volunt hieroglyphice, Lupum & Agnum, aut Ovem ponunt. Unde apud Horat. legas,

*Lupus & Agnis quanta sortito obrigit,*

*Tecum mihi discordia est.*

Q

Et